

Explicatio 1. partis.

De visione tria in textu annotantur. (1) est *Temporis descriptio*; quo visio isthæc Prophetæ oblata, eo nimirum, quo *Zecharias* cum principibus Juda & fabris tùm lignariis, tùm ferrariis abductus in *Babyloniam* à *Nebucadnezare*, cum altera jam vice in *Palæstinam* fecisset irruptionem, de qua *2. Reg. 24, 10. seqq.*

Sed quæri potest hîc: Cur præ reliquis opificibus *Nebucadnezar* fabros maximè tùm lignarios, tùm ferrarios è *Palæstina* secum abduxerit? R. id factum fuisse, vel quod in regno talibus opificibus destitutus: vel potiùs idèò, ne Hebræi opificum illorum opera in condendis propugnaculis & cudendis armis abutendo iterùm rebellare auderent *Babyloniis*.

(2) *Visio ipsa*, eaqve gemina: Una calathus ficuum bonarum & optimi saporis; altera, calathus ficuum malarum, quæq; minimè esur: qua visione distincta DEUS ad variam rerum differentiam respicere voluit, sicut in sequentibus mox indicat.

(2) *Interrogatio Jehovæ* ad Prophetam de visione ista, ad quam & illa à Prophetâ eo planè modo, quo se habebat, recitata. Observetur hîc, quod inter cæteras patefactionũ divinarum formas, non ultimum sibi locum vendicet visio (hebr. יִרְאָה græcè *ὄρασις*): Estq; propriè imago vigilantibus objecta, rem futuram vel præsentem perspicuè repræsentans: Sic h. l. *Jeremias* videt duos calathos refertos ficibus; *Esaias* & *Johannes Evangelista* vident Majestatem Domini *Esa. 6.* & *Apoc. 4.* Atqve hinc est, quod Prophetæ usitatissimo nomine sacra in Lingva & Scriptura salutantur דַּבְּרֵי יְהוָה & דַּבְּרֵי יְהוָה i. e. vidente *1. Sam. 9, 9.* *2. Sam. 15, 27.* *2. Reg. 17, 13.* *1. Par. 21, 9.* *2. Par. 9, 29.* *6. 12, 15.* *Esa. 30, 10.* *6. 32, 10.* & respectu divinarum revelationum in genere, quæ per illuminationem mentis internam contingebant, & respectu visionum propheticarum in specie.

Expositio 2. partis.

Expositio visionis duas complectitur partes, in prima expeditur significatio calathi bonarum ficuum. In secunda significatio calathi malarum ficuum.

Per calathum bonarum ficuum denotantur *Zecharias* & alii *Ju-*
dæi

P. 1.

1. Sam. 1.

P. 3.

P. 4.